

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De tertio

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

(nocere,) Dominus enim concidit funes impiorum, Psal. 129. v. 3. 4.

Meminerimus id, quando hostes conjurant, & varia astuta consilia cudunt, ut nos deleant. Christus ante hostes vicit, & propter eum quoque nos longè vincemus, Rom. 8. v. 37. progredientes de victoria ad victoriam, Psal. 84. v. 8. non enim justificat impium, Exod. 23. v. 7. Virga & baculus ejus continuè virent, licet multi Chorites illi repugnent, Num. 17. v. 8. Veniet aliquando tempus, ubi omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur, Matth. 15. v. 13. consilium autem ejus stat, Esa. 46. v. 10. verbumque ejus manet in æternum, Esa. 40. v. 8. Quam sententiam pius ille Elector Joannes Fridericus pro Symbolo habuit, certa fiducia, quod verbum Dei delerit nunquam possit.

Quid non tentarunt gentiles Imperatores, Domitianus, Trajanus, Hadrianus, Severus, Maximinus, Decius, Diocletianus, Julianus, aliique qui Christianis sacras literas planè è manibus eripuerunt, in ignem conjecerunt, & cremarunt, quin & aliis modis nefandis tyrannidem suam exercuerunt, ut non dubitaverint, quin Evangelium Christi abolituri sint? Verùm omnes pudefacti sunt, Christus adhuc sedet ad dextram Patris, inde neque Papa neque Turca eum deturbare poterit, donec venturus ad judicium, pluet super hostes suos laqueos, ignem, sulphur & spiritus procellarum, partem calicis eorum, Psal. 11. v. 6. Nos verò qui consortes Regni ejus sumus, rapier sibi obviam in aëra, ut gloriam & claritatem ejus videamus, Joh. 17. v. 24. cum eo semper futuri, 1. Thess. 4. v. ult.

De Tertio.

Restat *Causela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Præceptum de caritate observa*. Sic enim respondet Servator Legis perito, quærenti de præcipuo legis mandato: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.

Huc pertinet

1. *Dilectio Dei*, quæ, ut Christus Legis perito ex Deut. 6. v. 5. respondet, fluit, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: hoc enim majus est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis, Marc. 12. v. 33.

Equidem ad hujusmodi perfectionem in hac vita pertingere non possumus. Quia figmentum cordis humani malum est, ab adolescentia sua, Gen. 6. & 8. v. 21. anima gravatur à corpore peccati, & adhæret terræ, Psal. 44. v. 25. Animus verò magis quærit aurum, quàm Deum, Job, 41. v. 44. Sed Spiritus sancti auxilium implorandum, ut deducat nos in terra recta, Psal. 143. v. 10. & det nobis secundum divitiis gloriæ suæ virtute corroborati, in interiori homine, Eph. 3. v. 16. ut *Deum diligamus super omnia*, ita ut nihil ei præferamus in amore; *Deum per omnia*, ut eum in Filiis suis & Christum in membris diligamus; *omnibus temporibus*; non modò in prosperis, sed & adversis, quin & in morte, cum Jobo dicentes: Etiam si occiderit me Dominus, in ipso sperabo, Job. 13. v. 15. Matth. 10. v. 22.

Hæc dilectio sigillum Spiritus sancti est, quo certi sumus, nos filios Dei & salutis hæredes esse, Cant. 5. v. 6. 2. Tim. 2. v. 19.

Dilectio Dei est *pulcherrimum ornamentum*, quo Spiritus sanctus corda nostra ex-

ornat,

ornat, ut fulgeant instar Templi Salomonei, exterius & interius auro purissimo obducti: Nam impletio legis est dilectio, Rom. 13. v. 11.

Dilectio Dei est *aur ea sella Salomonis*. Sicut enim Salomo in throno Regio quiescebat: ita cœlestis Salomo in ejusmodi animâ requiescet, quæ Deum diligit. Joh. 14. v. 24.

Dilectio Dei quasi *currus Elia* est. Sicut enim Elias curru igneo, & equis igneis in cœlum ascendit, 2. Reg. 2. v. 11. ita & dilectio Dei ejusmodi currus igneus est, qui corda nostra ad Deum extollit, ut quasi in cœlo habitemus & præsentem simus ad Dominum, 2. Cor. 5. v. 8.

Dilectio Dei est *anima anchora*, quæ fundatur in bono æterno & immobili, & dicere potest cum Assapho: Quid enim mihi est in cœlo? Psal. 73. v. 25. hinc requiem animæ invenit, Matth. 11. v. 29. nec commovebitur in æternum, Psal. 125. v. 1.

II. *Dilectio proximi*. Secundum simile est huic: Diliges proximū tuum sicut teipsum.

Alibi Servator nobis proponit misericordiam Patris cœlestis, Luc. 6. v. 36. sicut & suum exemplum, inquit: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem, Joh. 13. v. 34. Sed hinc quemlibet in cor suum remittit, ut sicut in semetipsum affectus sit, simili affectu proximum suum prosequatur. Quod aliàs compendiosè in duabus regulis comprehenditur, quas Deus naturaliter cujusque cordi indidit. Altera affirmativa & hæc est: Omnia, quæ vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7. 12. Altera negativa ita se habet: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias, Tob. 4. 6.

Diligendus proinde proximus est,

1. *Ore*, ut non modò humaniter eum salutemus: sed & consilio & precibus adjuverimus, 1. Tim. 2. v. 1.

2. *Corde*, ne suspicionem, invidiam vel odium in corde alamus: sed basia manus & basia cordis concordent, ad exemplum membrorum corporis humani, 1. Cor. 12. v. 26. Rom. 12. v. 15.

3. *Opere*, 1. Joh. 3. v. 17. Jac. 2. v. 15. Esa. 58. v. 7. quod fiat in hilaritate, Rom. 12. v. 8. & sine murmuratione, 1. Petr. 4. v. 9. non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilariter enim datorem diligit Deus, 2. Cor. 9. v. 7.

Sectamini igitur caritatem, Vos mei! 1. Cor. 14. v. 1. solliciti servare unitatem Spiritus, in vinculo pacis, Eph. 4. v. 3. induite caritatem, Colof. 3. v. 14. ambulate in dilectione, Ephes. 5. v. 1. hæc enim est lex Regia, quam si perficitis, benè facitis, Jac. 2. v. 8. *Non vidi malâ morte periisse, qui libenter opera caritatis exercuit*, ait Hieronymus. Conservat enim elemosynam quasi sigillum, Sir. 7. v. 18. Matth. 10. v. 42.

II. *A Mose ad Christum propera*. Id Christus ipse docet nos, in prælecto Evangelio: Pharisei & Scribæ putabant, se ex lege justificatum & salvatum iri: sed Servator aliam ipsis quæstionem proponit de Messia, dicens: Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Quò innuere voluit, non sufficere de lege quærere, & scire, quæ Deus nobis in illa præceperit: sed & Christum inquirendum esse, qui legem pro nobis impleverit, & maledictionem legis in se suscepit, Gal. 3. v. 13.

De Mose refertur, quod manus graves habuerit, Ex. 17. 12. & impeditioris & tardioris linguæ fuerit, Exod. 4. 10. item quod facies

facies ejus splenderit, quem splendorem Israëlitarum non perferre potuerint, adeoque velamen super faciem suam posuerit, Exod.

34. v. 33.

Quo indicatum, legem jugum esse, quod in hac vita portare non possumus, Act. 15. v. 9. Iccirco Christus venit, & legem pro nobis implevit, ut justificatio legis impleatur in nobis, Rom. 8. v. 4.

Moses Israelitas in terram promissam introducere non potuit: Josua verò eos introduxit. Ita hoc præfiguratum est, Moysen non per legem, sed Christum Jesum, cujus typus Josua fuit, per Evangelium in terram viventium nos perducere posse. Est enim finis legis, ad salutem omni credenti, Rom. 10. v. 4.

Lex requirit, ut natura sancti simus, Levit. 11. v. 44. Id in nobis non reperimus, sed in Christo, qui Sanctus Sanctorum est, Dan. 9. v. 24. 1. Petr. 2. v. 23.

Lex perfectam obedientiam requirit in sanctis cogitationibus, in sanctis verbis, & sanctis operibus. Id itidem in nobis non invenimus, sed in Christo quæramus oportet, qui omnem vitam suam, in sanctis cogitationibus, verbis & operibus, in his terris peregit, & legi perfectam obedientiam præstitit, ad eò, ut apex unus non præterierit, Matth. 5. v. 18. Cogitationes nostras sanctificavit, per recordationem mortis suæ, quam in cœna instituit, 1. Cor. 11. v. 26. Verba nostra, per verbum vitæ, quod egressum de ore ejus, Joh. 6. v. 69. Opera nostra, per perfectam obedientiam, quam Patri præstitit usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 8.

Lex requirit, ut vel minimum peccatum non inveniatur in nobis. Qui enim facit

peccatum, servus peccati est, Joh. 8. v. 35. qui servus peccati est, Diabolo servit, & pertinet in Regnum ejus, Apoc. 21. v. 8. hoc itidem in nobis non est, sed in Christo, qui à Patre nobis factus justitia, ut de plenitudine ejus acciperemus gratiam pro gratia, 1. Cor. 1. v. 30. Joh. 1. v. 17.

Nobis Deus diligendus erat *ex toto corde*: non erat id in viribus nostris. Christus verò loco nostrum perfecit. Propterea ait: Ecce venio, Psalm. 40. vers. 8. & in horto Oliveti: Fiat voluntas tua, Matth. 26. v. 39.

Deus diligendus erat *ex tota anima*: nec hoc in viribus nostris erat: Christus illud præstitit, dum laboravit anima ejus pro nobis, Esa. 53. v. 11. & contristata usque ad mortem, Matth. 26. v. 28. ut nos habere-mus abundantiam gaudiorum, Psal. 16. v. ult.

Deus diligendus erat *ex tota mente*: id non erat in nostris viribus: Christus verò præstitit. Novit enim Patrem exactè, & qui eum videt & audit, & Patrem videt & audit, qui se non modò essentialiter, sed & corde suo paterno in eo effinxit, Col. 1. v. 15. Hebr. 1. v. 3. Hoc modo in gratiam receptos, gratificavit Deus in dilecto, Ephet. 1. v. 6.

Proximus diligendus erat ut nos ipsi: id itidem virium nostrarum non erat. Christus id fecit, dum carne & sanguine nostro se vestivit, factus nobis in omnibus similis, excepto peccato, Hebr. 2. v. 17. Breviter: est alter Adam, qui quæ prior Adam perdidit, plenè restituit, Rom. 5. v. 19.

Sicut igitur Siracides ait: Gratiam fidei-jussoris ne obliviscaris, Sir. 29. v. 20. sic & nos gratà mente memores sumus, Jesum Chri-

Christum resurrexisse ex mortuis, 2. Tim. 2. v. 8. & illuminasse vitam & incorruptionem, 2. Tim. 1. v. 10.

III. *Meritum Christi tibi applica.* Servator noster triplex munus gerit, quod sub nomine Christi significatur, qui unctum notat. Sicut igitur in V. T. tria hominum genera uncta sunt, summi Pontifices, ut Aaron ejusque filii, Exod. 40. v. 9. 10. Prophetæ, ut Elisa filius Saphat, 1. Reg. 19. v. 16. Reges, ut Saul, 1. Sam. 10. v. 1. Ita Servator noster Spiritu sancto unctus est, Act. 10. v. 38. ut haberemus in eo

1. *Pontificem*, non juxta Ordinem Aaronis, sed Melchisedec, Psal. 110. v. 4. hinc tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis, Eph. 5. v. 2. & ad dexteram Dei interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

2. *Vatem.* Quia enim naturam tenebris obscuratum intellectum habemus, & voluntatem Dei non cognoscimus, ipse ut Magnus ille Propheta à Mose promissus, Deut. 18. v. 18. notas nobis fecit vias vitæ, Psal. 16. v. 11. Joh. 1. v. 18.

3. *Regem.* Diabolus adversarius noster infensissimus est, qui circuit, tanquam leo

rugiens, & querit quem devoret, 1. Petr. 5. v. 18. Sed hæc consolatio nostra, quod Regem habeamus, qui Diabolo & ejus satellitibus sufficiens est. Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Dissolvit ipse opera Diaboli, 1. Joh. 3. v. 8. caput serpentis contrivit, Genes. 3. v. 15. forti armato arma abstulit, quibus confidebat, Luc. 11. v. 22. Ita ut nunc cum Esaia dicere valeamus: Dominus judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos, Esa. 33. v. 22.

Ad hunc igitur Salvatorem in omnibus adversitatibus confugiamus. Ut Pontifex enim noster, pro nobis orabit: ut Propheta noster, viam cæli nobis ostendet; ut Rex noster, nos defendet. Quem igitur timebimus? Dominus enim fortis est Heros, Heros in prælio, Psal. 24. v. 9. hic Protector noster, in quo exultare possumus, dicentes: Dominus mihi adjutor; non timebo, quid faciat mihi homo? Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos, Psal. 118. v. 6. 7.

Sit illi gloria in secula seculorum,
Amen.

DOMINICA XIX. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 9. v. 1 -- 8.

EXORDIUM.

DE junioribus Studiosis Hierochunticis, Elisæi discipulis, refertur, quod herbarum egressi, varias herbas collegerunt, ad famem in annonæ caritate sedandam. Inter

alias colocyntidas quoque collegerunt, iisque pulmentum adeo amarum reddiderunt, ut comedi non posset. Quod cum Elisæo significassent his verbis: O vir Dei, mors est in olla! misit ille farinam in ollam,

m m m

ollam,